
31.





QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 27 Januarii 1724.

M. JOANNE-DAMIANO CHEVALIER, DOCTORE MEDICO PRÆSIDE.

An Pestis curatio ex Symptomatis?

I.

N curandâ Peste, hanc sequere quam Natura monstrat medendi viam, non quam tibi fingis Systematis artifex. Systema plerumque delirantis animi somnium, non vera Naturæ indagatio. Cautus sit Medicus in scrutandis causarum arcanis, quæ Natura celari voluit. Infidas dum sectatur umbras, falsâ veritatis imagine captus, captabit pro Junone nubem. Quid inde? Ut me-

ditantem malus abstulit error, sic medentem pejor deludit. Oeconomiâ animali fulcitur medendi methodus. Hæc non à deviis, dubiis, falsisve rationibus, sed aut à Naturâ lædentis, aut à nocendi modo indicationes mutuatur. Essentiæ rei quæ lædit cognitio, ut ad curationem minimè necessaria, sic ingenii vires pluribus in morbis longè superat & vincit. Quis Tarantismi, rabiei, luis venereæ, variolarum, imò febrium intermittentium naturam scientiâ assecutus est? Hi tamen morbi satis feliciter curantur. Tarantismus choreâ; rabies balneo marino, vel quibusdam *specificis*; mercurio lues venerea; febres intermittentes cortice peruviano. Cura variolarum opus non rarò Naturæ: hæc tamen sæpiùs auxiliatrices manus postulat quæ conatus suos adjuvent, non antevertant; crisim expectent, non promoveant maturiùs, aut futuram non sufflaminent. Pestis (ex horum censu morbus) nequidem ipsa curationem renuit, si desumantur indicationes ex iis quæ venenatæ luis nocendi modum detegunt.

II.

PESTIS quo vel solo nomine horret animus, mortaliaque contremiscunt pectora, omnium morborum truculentissimus, acutissimus, maximè contagiosus, febre, bubone, *anthrace*, *exanthematis* id genus horrendis stipatur. Ejus quæ sit causa, Natura, latuit usque. (*a*) In homine generari virus pestilens non modo ex humorum putredine, sed ex solo mali terrore, quidam affirmant, (*b*) plures negant. (*c*) Plurimi à putrefaciente veneno subtili per aëra vagante pestiferæ luis causam repetunt. At undenam aëri lethiferum inquinamentum? Lis sub Judice. Alii hanc labem à Deo vindice immitti, (*d*) alii à malignis siderum influxibus, (*e*) alii à tempestatum certis constitutionibus, alii denique à tetris putridisque terræ, aquarum, cadaverum (*f*) exhalationibus produci asserunt. Horum quælibet opinio nonnullâ veritatis specie exornatur; nulla certis & inconcussis stabilitur argumentis. A Deo creari pestiferam luem ex aliarum opinionum refutatione potiùs inducitur, quàm genuinis & propriis probatur rationibus. Malignos esse siderum influxus suspicari, nimiæ credulitatis est. Ut aëris fervores maximos, ventos australes, sive siccos, sive humidos, nullæ Pestes exceperunt; sic absque aëris inclementiâ Pestem insecutam, imò mensibus Decembri, Januario, Februario grassatam, & æstivis caloribus solutam fuisse notum est. (*g*) Exhalationes post terræ motum ex ipsius sinu erumpentes venenatæ, non pestiferæ. Ambientem tantummodo aërem vitiant. Astantes suffocantur; sed non pestilentibus symptomatis cruciati intereunt: nemini contactu, halitu morbosum virus communicant. Aquarum putridis exhalationibus imbutum aërem pestiferam vim inducere posse quis æstimaverit? Plurimis in locis quæ peste rariùs infestantur, sæpiùs aquæ corruptæ fœtorem expirant intolerabilem. (*h*) Nilus quot annis longè lateque diffusus terram obducit limo, piscibus, crocodilis, aliisque monstris referto, quæ aquis destituta computrescunt. Non indè tamen emergit pestifera lues Ægypto noxia. Omnibus ferè mensibus contagio forinsecus advehitur; inun-

(a) *Barbette de peste. Diemerbroec. de peste. Sydenham de peste. Joannes Riolanus de abditis rerum causis.*

(b) *Fridericus Hofmannus dissertat. de peste. Virinus de peste.*

(c) *Vide Diemerbroec. ibid.*

(d) *Joannes Pistorius, Platerus, Diemerbroec. Fernelius.*

(e) *Fernelius, Sennertus, Quercetanus, Follinus.*

(f) *Fracastorius, Riverius, Fridericus Hofmannus dissert. medico-physica de peste. Joannes Riolanus de generali medendi methodo, c. XIX.*

(g) *Fernelius de abditis rerum causis. lib. 2. c. 12. 13. Radzivilius in itinerario, Morellus de febre purpurara, Diemerbroeck de pest. c. VIII. probl. VI.*

(h) *Diemerbroeck. ibid. probl. IV.*

dationis tempore, calidissimâ, austrinâ, inæquali tempestate omnino desinit (*a*). Verùm si pestis in Ægypto ex effusione Nili, in Syriâ & Barbariâ undenam ortum ducit? A Solis ardore? Cur illa Æthiopiæ ora quæ Nigir fluvium accolit peste immunis est(*b*): Quid si Boreales plagæ non minùs peste infestantur quàm Sole nimio ferventes? Illarum Mercatores, inquiunt, è regionibus torridis merces adferunt inquinatas, ipsi sæpius infecti redeunt. Commentum. E variis, ne dicam omnibus orbis partibus in sinarum regnum confluunt omnis generis negotiatores, qui fit ut nunquam contagium forinsecus accedat, sicut è proprio regni sinu emergit nunquam (*c*)? Cadaverum exhalationes magnam habere vim ad pestem generandam, omnium ferè est effatum. At non semel post magnas strages cadaverum inhumatorum putrefactio nullas pestes induxit. (*d*) Non ergo magis nota pestis origo quàm ipsius natura. Quid igitur in tanta rerum caligine statuendum? Suâ quisque hypothesi delectetur; nil moreris; veneni noveris effectus, hos indicant symptomata.

(a) *Fridericus Hofmannus dissertatione de peste. Prosper Alpinus de Medicinâ Ægypt.*

(b) *Scaliger. Diemerb. c. VIII. prob. II.*

(c) *Trigautius. Diemerb. ibid.*

(d) *Diemerbroec. lib. I. c. VIII. problem. IV.*

III.

SYMPTOMATA cuiquam aut pluribus simul ex veneno pestilenti nascentibus occurrere vel mederi satagis? Indicantur ea quæ non minùs morbo adversantur quàm symptomatis. Ipsi morbo decernis curationem? Quam tandem? Missionem sanguinis? Hanc quidem profuisse multorũ observationibus constat(*e*): verum & nocuisse innumeri testantur (*f*). Cave igitur hujus utilitatem æstimes cujusquam auctoritate & exemplis. Inspice non quis fecerit, sed cur & quo exitu. In peste sanguinem Medici detraxerunt, & non miserunt magni nominis(*g*). De adhibendis fugiendisve *purgantibus*, cum veteribus veteres, cum recentioribus recentiores decertant armis æqualibus; hinc discito venæ sectionis & purgationis usum salutarem aut infaustum, non ex ipsâ morbi naturâ, sed ex veneni effectibus judicandum. Ad alexiteria confugies? Quænam? Non sunt ejusdem virtutis. Alia *absorbentium*, alia *sudoriferorum*, alia *anodynorum*, alia *refrigerantium* vice funguntur. Hæc promiscuè & indiscriminatim præscribere summæ esset ignorantiæ. Quid ergo hujus vel illius usum suadebit? Quinam sint pestiferi toxici effectus attende. Non iidem in omnibus. Quidam valentibus omnino similes subitò occumbunt. Alii sine febre sensibili bubones & anthraces passi evadunt. Ut plurimum tamen horrore corripiuntur mox febre. Febris comites plerumque fiunt & assleclæ jactationes & anxietates præcordiorum. Linguæ siccitas adest, quandoque nigredo. Rubent oculi; visus turbatur; laborant aures tinnitu, sibilo, nonnunquam surditate. Sitis in quibusdam aspera, in aliis levis; aut nulla. Hos æstus vehemens urit; illos nullus calor molestat. Dolores capitis rariùs acres pungunt; sæpius gravativi lecto affigunt. Vigiliis, deliriis, convulsivis subsultibus alii cruciantur; alii sopore gravi premuntur. In quibusdam pulsus est validus & naturali penè similis; in aliis parvus, creber, modo æqualis, inæqualis modo, quandoque intermittens. Sunt in quibus vires ab initio prostrantur; sunt in quibus robustæ perseverant ad mortem usque. Urinam si inspexeris, modo naturalis apparet, modo

(e) *Sydenham de peste, p. 70. Mercurialis, Forestus.*

(f) *Frideric. Hofm. Fernel. Rivinus, &c.*

(g) *Celsus. Raza. Joan. Riolanus. Frid. Hofm.*

rutilans & ignea, modo cruda & tenuis aliquando etiam turbida. In eodem ægro nonnunquam has eâdem die subit mutationes. Multi frequentes patiuntur alvi dejectiones, crudas, admodum fœtentes, confusas, modo viridis, modo crocei coloris, interdum scatentes vermibus. Haud infrequentiùs læditur ventriculus singultu, nauseâ, vomitu bilioso, fœtidissimo. Sudores in his pauci aut nulli, in illis copiosi, in nonnullis graveolentes, coloris (mirum dictu) varii, citrini, purpurei, viridis, nigri, & velut sanguinolenti (*a*). Huic symptomatum Iliadi non raro accedit narium, oris, oculorum, aurium, penis, uteri, (mali plerumque ominis) Hæmorrhagia. Vultus aliis pallidus, aliis *erysipelaceus*, plurimis sanorum colori non multum absimilis. In locis glandulosis tumores exoriuntur bubones, parotides. In cæteris corporis partibus exilis modo pustula, sæpe plures simul junctæ sensim in molem assurgunt majorem modo, modo minorem. Hujus pars superior ex omnibus vesiculis in unam coeuntibus conflata vulgò carbonem extinctum refert, quandoque vesiculam ichore nigricante plenam: pars subjecta quasi *cauterio* inusta colorem acquirit vel cinereum vel nigrum: tumoris ambitus obscuro rubore splendescit: Latinis carbunculus, Græcis ἄνθραξ dicitur: res eadem, diversa nomina. Insuper maculis purpureis, nigris, violaceis, rubeis paucis modo, modo multis, angustis aut latis, at ferè semper exactè rotundis pars aliqua corporis, vel totum corpus conspergitur. Hæc ferè sunt luctuosissimi morbi symptomata. Ex his variè ludentibus, ut hostis furentis intus vires, & vias, fraudesque solers deprehendet Medicus, sic quibus auxiliis debellandus sit intelliget.

(*a*) *Fridericus Hofman. Dissert. de peste.*

IV.

FEBRIS adest? Hanc esse memento Naturæ conamen. Hujus nonnunquam salutares conatus, sæpe irriti. Salutares habeto si venenum per sudores eliminetur, vel in bubones aut *anthraces* adigitur, utrumque cum ægri levamine. Hanc sinendam aut juvandam edocent reliqui morbi qui per cutaneas eruptiones judicantur. Variolæ, morbilli, petechiæ ritè procedunt? Sanguinem mittere, corpus vacuare, fovere, refrigerare nefas est; totum opus Naturæ committendum benè consulenti. Eò sanctiùs præceptum quod in hoc morbo vel levissimum peccare, ægrum jugulare sit. Accedunt febri vel ipsam concomitantur jactationes anxiæ, dolores capitis lancinantes, vigiliæ, deliria, calor urens? Magnam venenati miasmatis partem ad præcordia, ad cerebrum expelli intelligito. Hinc pungi, convelli nervosum genus, vasa corrugari, sanguinis circuitum retardari. Tunc, præsertim si plethora sit, sanguinis missione è brachio, è pede opitulaberis. Procul absint cardiaca dicta, alexipharmaca, aliaque Naturæ tormenta. Sit victus parcior ex jusculis temperatis; potus tenuis & multus ex aquâ, aut *ptisanâ*, acidulatâ. Nitratis & camphoratis tumultuantes succos, irritata solida pacare studeas. Hac arte redintegrato fluidorum circuitu à venenato miasmate sese faciliùs expediet Natura. Non eundem veneni effectum sopor indicat. Ex pulsu discrimen. Debilis est aut tardus? Narcotico imbuta toxico solida cogitabis. Horum cardiacis emetico mixtis

motum exsuscitare enititor; sed parce sanguini. Pulsus est fortis, durus, & celer? Aut adest plethora, aut nimia sanguinis effervescentia, tum audacter sanguinem mittas. Non sint tibi fraudi diarrhæa frequentesque alvi dejectiones, hæ non Naturæ opus sed veneni intestina stimulantis. A quovis purgante caveto. Enematis, sed demulcentibus, si quid est saburræ detrahas, & consulas viribus. *Diaphoreticis*, prout febris sinit, & *absorbentibus* virus debelles. Nausea & vomitus in primo morbi insultu vexant? Ventriculum pungit, commovet, subvertit aura venenata: Si recens fuerit cum aëre, salivâ, alimentisve hausta, emeticum propines. Seriùs adhibitum nocebit. Delapsum jam in intestinis chylum antequam vasa subierit per inferiora deturbare properabis: demum superstitis veneni sudoriferis eliminatio tentanda. At quæ vigente morbo cruciant, interclusi & à corporis *peripheriâ* retrogradi sanguinis argumenta nauseas esse memineris. Hos morbi impetus æmulari facinorosum. Ni venam secueris sanguis devius, cæterique liquores sua non relegent itinera: amicum non redintegrabitur solida inter & fluida commercium. Detractione sanguinis venenatam qualitatem imminui, detrahi, expelli quis neget nisi œconomiæ animalis planè nescius? Enim verò nocentis toxici eliminationem molitur Natura: obices ponit ejus motibus succorum redundantium copia, aut in vasis minoribus tarditas, vel stagnatio: Hos ut circumagat acrius ferit: Succi non obsecundantur? Vasorum diametros violant, apices aperiunt, erumpunt quâ data porta; si per vias naturales, & debitâ quantitate, cum bonis ægri rebus; secus, cum vitæ dispendio, aut saltem summo discrimine. Maturè sanguinem detrahis? Sublatâ resistentiâ placidè vasorum oscillationes peragentur; æquabili circuitu liquores in propriis circumferentur alveis, & morborum medicatrix natura venenatam auram aut per sudores abiget, aut in colatoriis deponet. Qualescumque igitur hæmorragias non perinde suspectas habueris. Copiosissimo sæpe sanguinis è naribus fluxu morbus judicatur. Quæ suo tempore fiunt *catamenia* sinenda: si liberaliùs fluunt cum virium dejectione, venæ sectione, aut absorbentibus, aut utrisque cohibenda. Qui per alias vias erumpit sanguineus latex revocandus, sistendus.

V.

INTER hujus pessimi morbi symptomata referri solent bubones, *parotides*, carbunculi seu *anthraces*, petechiæ; excretiones veriùs criticæ. Bubonibus sæpè, rariùs carbunculis, rarissimè petechiis morbus judicatur. Ejus rei rationem si quæras, accipe. Quicquid à centro corporis ad ambitum movetur, continetur arteriis. Hæ instar coni efformatæ crassiores particulas versus apicem propellunt. Quæ enim hinc, inde hiant in arteriis venularum orificia, arctiora sunt arteriæ diametro. Motui aptiores sanguinis arteriosi particulæ venularum ora subeunt, densiores versus acumen urgentur. Huc appulsæ veneno turgidæ, si glandulas nanciscuntur, lymphatici liquoris affusione, quo madent harum extremitates spongiosæ, nonnihil mitescunt, & ad suppurationem disponuntur. Dein bubonis apertione datâ viâ ichor viru-

lentus effluit. Novo ſanguine eaſdem arterias ſubeunte, per ſentinam expurgatur quicquid ineſt miaſmate lethifero vitiatum. Pars interea ſanguinis, cordi redditur, veneni purior. Sic ſenſim iteratis circuitibus ſanguinis maſſa defœcatur, purgatur. Si autem apices arteriarum in quibus volvitur ſanguis impurus in muſculoſas aut membranoſas partes deſinunt; hujus cauſtica virtus nihilò demulſa in pus abit difficiliùs, ſed partes quibus inſidet adurit, & vicinas ſerpendo depaſcit. Deinde obductâ partibus exeſis cruſtâ duriori, perſpirationis viæ occluduntur. Per carbunculum virulentæ materiæ minùs protruditur quàm per bubonem; donec ulcere facto eidem paretur exitus. In plures ſimul arteriarum ramulos ſæpè magna pernicioſi miaſmatis copia diſpergitur. Tunc omnes ferè in his contenti ſanguinis diſſociatæ moleculæ lenteſcunt, hærent, maculis varii coloris conſpicuæ. His extrudendis ſi par eſt Natura vincit, impar vincitur. Laboranti Naturæ adlaborare ſatagis? Duriores ſanguinis dilue particulas ejuſmodi videlicet potulentis quæ ſolidorum oſcillationes fovere naturales, debiliores augere, fortiores lenire queant. Bubones & anthraces Arte chirurgicâ ſanandi. Imperfectam criſim arguunt aut permanentia aut non valde remittentia poſt quamlibet eruptionem ſymptomata. Tùnc aliàs mitius tractandi bubones mox ſcalpello aut *cauterio* aperiendi, vel veſicatoriis proliciendi. Carbunculi verò progreſſus inhibendus: ſubſtantia emortua quàm citiſſimè fieri poteſt ſeparanda. In utroque tumoris genere factum ulcus tamdiu apertum ſervetur, quandiu venenatæ luis aliquid in corpore deliteſcere conſtabit. Hûc omnis aliorum quæ ſuperſunt ſymptomatum cura dirigantur. Imprimis caveto ne venæ ſectione perperam celebratâ, aut *catharticis* ociùs adhibitis intùs revoces quod in extremis reſedit. Sic ſymptomatis indicantur quæ ſint nocitura, quæ profutura ſint, quibuſque auxiliis vincere Natura poſſit:

Ergo Peſtis curatio ex Symptomatis.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Franciſcus Pouſſe.	*M. Camillus Falconet Regiæ utriuſque Aulæ Equeſtris Primarius.*	*M. Alexand. Petrus Mattot.*
M. Thom. Bernardus Bertrand.	*M. Hyacintus Baron.*	*M. Alexis Littre Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.*
M. Ægidius Adam Chirurgiæ Gallico idiomate Profeſſor.	*M. Joannes-Nicolaus de la Hire è Regiâ Scientiarum Academiâ.*	*M. Petrus-Joannes Burette Profeſſor Regius, & è Regiâ Numiſmatum Academiâ.*

Proponebat Pariſiis, LUD. JOAN. LE THIEULLIER, Laudunenſis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1724. à ſextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, 1724.